

14

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

MATTHAEUS ANDRONICUS
TRAGURINUS

EPITHALAMIUM
IN NUPTIAS VLADISLAI PANNONIARUM AC
BOEMIAE REGIS ET ANNAE CANDALIAE REGINAE

EDIDIT
LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULA XV—XVI.

MATTHAEUS ANDRONICUS
TRAGURINUS

EPITHALAMIUM
IN NUPTIAS VLADISLAI PANNONIARUM AC
BOEMIAE REGIS ET ANNAE CANDALIAE REGINAE

EDIDIT
LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXIII. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq. kot
114. 927



EXCUDEBAT IOSEPHUS KERTÉSZ, KARCAG (HUNGARIA)

INTRODUCTIO.

De Matthaeo Andronico.

Hoc epithalamio de Matthaeo Andronico certiores facti sumus; cetera indicia igitur nobis de vita et operibus eius desunt. — E cognomine eum ex oppido Tragurio (Traù in Dalmatia) ortum cognovimus; eum in Italia (fortasse Patavii) didicisse et Hungariam visitasse e dedicatione et epithalamio certum esse videtur.

Quia nuptiae Vladislai II. et Annae Candaliae (Anne de Foix) die 29. mensis Septembris a. 1502.¹ celebrabantur et editio epithalamii iam mense Iulio eiusdem anni in lucem prodiiit, epithalamium compositum festis nuptialibus praecessit.

Andronicus carmen suum Nicolao de Chiiak (Csák)² episcopo Chienadiensi (in Hungaria) dedicavit, cui familiariter coniunctus videtur, immo fortasse in Italia — e dedicatione Nicolaum de Chiiak Patavii didicisse comperimus — amici facti sunt.

De editione epithalamii.

Epithalamium codicem manuscriptum desiderat; sola editione ad nostram aetatem remansit, quae rarissima Venetiis a. 1502. in lucem prodiiit. Exemplar quoddam carminis in Bibliotheca Apponyiana (Budapest, in Museo Nationali Hungarico) no. 63. asservatur;³ 4^o; folia 8. *Dedicatio*: Air-v; *epithalamium*: Aiiir-Biiiiiiv. — Ad calcem (Aiiiiiv): Impressum Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus Anno Domini M. D. II. Die XXX. Mensis Iulii. Cum privilegio.

¹ Wenzel G., II. Ulászló magyar és cseh király házaselete. Századok, 1877, p. 755. — Fögel J., II. Ulászló udvartartása. Budapest, 1913, p. 130.

² †1514. — Cf. Nagy I., Magyarország családai. III, Pest, 1858, pp. 76, 87.

³ Gr. Apponyi S., Hungarica. Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok. I. Budapest, 1900, p. 44. sqq. — De Andronico pauca v. apud Fögel o. c. p. 81.

ANNOTATIONES CRITICAE.

Menda typographi indubitata reliquimus. — Variantes ascribendo scripturam univimus. — Scripturam antiqui temporis plerumque adhibuimus.

Dedicatio. 1. quaecumque — 2. Zoylus — 3. Bohemiae — 4. difficilimis

Epithalamium. 2. Phryxei — 4. arctatum — 7. Aematiae — 8. Aemonios — 14. Aematios — 27. festinat — 33. cytharae — 40. Moenades — 41. coelo — 44. Naereus — 54. Summitent — coelo — 61. Dioneos — 66. coelestesque — 69. littore — 77. Illiaca — 84. taelum — 91. terax (*sic*) — 96. taelis — 100. archanos — 111. faecundo — 115. Scythoniae — 122. habetirigidus — 126. arctat — 134. Bohemi — 142. Dionei — 148. Poeones — 154. foetas — cubilibus — 155. sydereas — 159. nymbis — 188. Illiaca — 193. caedunt — 197. precium — 200. prognata — 203. caelebe — 206. sollicitus — 214. Thyrenas — 215. cerulea Clothe — 222. Gymodoce — 223. apprehensa — 242. Hostia — 243. onix — 244. Caristos — 245. Lygurum — 248. caedit — 251. Tybris — capte — 252. Capictolia — 259. Brenus — littora — 264. honore — 268. Oeteis — circumfluus — 269. Phaetonteos — 284. Foemineos — 286. pudiciciae — 288. repete — 289. Lucretia — 293. Altea — 296. cytharae — 297. Mitileneae — Corynna — 301. Thermodoontiacas — 302. soblis — 305. siue — 309. Pisea — 316. Phlegetontea — 317. foelix — 318. Foelix — 320. snccaederet (*sic*) — 329. Inclita — 335. Cymbrica — 343. Licaonii — 350. quinquenis — 353. gesa — 360. diis — 378. Lybicus — 380. diis — 383. conubia — 386. Oceani — 397. Erithreis — 398. Calaicisque — 399. foelicibus — 414. cytharae — 419. tyrsos — 424. mauet — 431. Hymeti — Dioneae — palestres — 435. trophaea — 440. foecundo — 444. caedent — 445. submittet — 447. prenuncius

MATTHAEUS ANDRONICUS TRAGURINUS
EPITHALAMIUM
IN NUPTIAS VLADISLAI PANNONIARUM AC BOEMIAE
REGIS ET ANNAE CANDALIAE REGINAE

Matthaeus Andronicus Tragurinus reverendissimo ac generosissimo domino Nicolao de Chiak electo Chienadiensi perpetuam felicitatem.

Omnes cuiuscunque notae auctores, praesul reverendissime, 1
quos hactenus videre contigit, nullum opus, qualecunque id esset,
sine dedicatione ediderunt, causam opinor esse livorem ac vitiliga-
tionem, amplum sane malum, et quod ne divinis quidem ingeniis
pepercit: hinc Zoilus ille Homericus, hinc notissimum adagium 2
arbor suspendio eligenda, cuius mali hoc unum remedium non illa
solum nunquam satis laudata antiquitas, sed nostra etiam tempora
antiquitatis pertinaciter aemula esse censuerunt. Emissurus itaque 3
epithalamium in nuptias invictissimi ac felicissimi Pannoniarum ac
Boemiae regis Vladislai et serenissimae reginae Annae Candaliae
multum diuque dubitavi, cuius praesidio tutissime in medium prod-
iret, nec ullus sane magis idoneus te uno se mihi offerre potuit,
qui nobilitate paterna splendidissimus maternum genus ab illo regum
omnium principe Matthia ducis, qui annos decem et octo natus
episcopatu Chienadiensi insignitus fuisti, quae dignitas licet ampla
admodum sit et vix ulla ex parte regia celsitudine inferior, tamen,
si quis eam cum exactissimis animi tui dotibus conferre velit, non
episcopatum tibi, sed te episcopatui ornamento esse procul dubio 4
inveniet. Accedit his eximia Latinae linguae cognitio, quam annis
quinque continuis in Patavino gymnasio non absque summa to-
tius studiosae iuventutis admiratione non hausisti modo, sed etiam
exhausisti tanta omnium veneratione, quanta nulli unquam provin-
ciali iuveni in quovis Italiae gymnasio contigit, quae res quam tibi
apud tuos auctoritatem adauxerit, vel hinc unicuique patet, quod
inter omnes regni Pannonii episcopos ac proceres unus nondum
vigesimalis aetatis annum transgressus electus es, qui orator ad-
ventui serenissimae reginae occurreres et cum Veneto senatu de
rebus maximis ac difficillimis ageres. Haec itaque quum in te vero 5
veriora unusquisque agnoscat, visum est hoc qualecunque opu-
sculum meae summae erga celsitudinem tuam observantiae testem
offerre, quod si tibi acceptum erit, mecum praeclarissime actum
existimabo omnes invidorum ac detractorum procellas pili (ut aiunt)
facturus. Vale, virtutum omnium unicum columen. 6

**Epithalamium Matthiae Andronici Tragurini
in nuptias Viadislai invictissimi ac felicissimi Pan-
nonarium ac Boemiae regis et Annae Candaliae
reginae serenissimae.**

Nondum intemptatas pubes irruerat undas
Thessala Phrixei cognatum velleris aurum
Exposcens necdum relluo vada concita motu
Consertisque iugis artatum evaserat aequor
5 Puppis Hyperboreum Minyas vectura sub axem,
Peleus eximiis quum iam virtutibus auctus
Sumpserat Emathiae sceptrum populosque regebat
Haemonios, icto qua cognita pascua Phoebos
Amphrysus placido sinuosus flumine lambit ;
10 Sed nec adhuc magnae Thetidis flagrarat amore
Nec sociare toros taedasque subire iugales
Certus erat. Coeunt proceres cladique precantur,
Fatalem Phrygiae terris ut reddat Achillem,
Qui populos regat Emathios, quo vindice Troia
15 Hospitii meritas laesi det perfida poenas.
Iamque suis thalamis natarum Doridos unam
Peleus addiderat : glaucae coiere puellae,
Conveniunt superi festumque hymenaea frequentant
Sertaque dependent reseratis undique valvis,
20 Aurea tecta patent, dant largos nectaris haustus,
Vernat flore caput, respondent Pelea Tempe,
Ossa Thetim resonant, Peneus sustinet undas
Cantibus attonitas stupefactaque flumina tardat.
Ecce iterum heroum redeunt felicia secla,
25 Rursus faustus Hymen et festae vincula taedae !
Aspicis, aerea sonus ut prorumpat ab Alpe
Parrhasiique celer ripas festinet ad Istri.
Ducitur Arctoo Rhodani armipotentis alumna
Nupta Iovi, geminae cui Gratia nexa sorori
30 It comes et teneri pariter famulantur Amores,
Astat et usque novae lateri Cytherea maritae.
Aspice, ut Ausoniae geminatis plausibus urbes
Exultent, citharae coniunctaque tympana buxo
Tinnulaque aera sonent, blandae instrumenta Diones.
35 Non aliter quondam Graias hilaraverat urbes
Clamor ovans, domitis quum iam remearet ab Indis

- Liber et Eoas patriis imponeret aris
 Exuvias festisque ululatibus orgia Bacchae
 Concinerent vulsasque trabes et saxa rotarent
 40 Maenades et scissis macularent arva iuvençis.
 Ecce serenato pelluntur nubila caelo
 Arridentque poli, suspendunt flamina venti
 Atque immota sui miratur regna profundi
 Nereus et refluos quae sistant numina cursus.
 45 Quacunq̃ue ingreditur, dominae blanditur eunti
 Terra rosas spargens, flatus dant nectaris aurae.
 Haud aliter segetes Arabum vel divitis arva
 Assyriae redolent, quum se novus induit annus
 Floribus ac vernis opibus gemmantia rident
 50 Prata et odoriferi mollis viget aura Favoni.
 Hannibal et flammis et vi mordacis aceti
 Temptet ver vetitae capturus moenia Romae
 Sponte sua attonitas animatis rupibus Alpes
 Summittent cautes et saxa minantia caelo
 55 Agnoscentque suae venientia numina divae.
 Tu mihi legitimis facibus, Saturnia praeses,
 Tu, Paphiae proles et casti cultor amoris,
 Profer, Hymen, tantos quod numen iunxit amantes ;
 Quae festinati sacros Concordia nexit
 60 Coniugii nodos, nexos quae Gratia sanxit.
 Forte Dionaeos hortos sedesque petebat
 Alma Venus Paphias pridem intermissa revisens
 Regna sui manibus quondam fabrefacta mariti.
 Circum aderant blandae Charites varioque volabant
 65 More sagittiferi fratres hi summa feruntur
 Per loca caelestesque plagas passimque micantes
 Incursant stellas, illi inferiore meatu
 Purpureis summas pennis librantur in undas.
 Iamque propinquabant adverso litore, Cyprus
 70 Qua Pharii spectat septemflua cornua Nili,
 Quum Venus affata est puerum, cui plurimus ignis
 Aestuat et nullos telum frustratur in ictus
 „Quid cessas, ignave puer ? quid, lente, moraris ?
 Quid non arma paras ? num sat mugire iuencos
 75 Inter Agenoreos semel est fecisse tonantem ?
 An, postquam Eurotae cygneo carmine ripas
 Mulsit et Iliaca praepes stetit ales in Ida,
 Otia sunt ducenda tibi ? cur spicula gestas
 Irrita ? cur cessans inglorius otia ducit
 80 Nervus et aligerum mundus iam nescit Amorem ?
 Dic, age, post domitos superos, post caerulea regna
 Ad motus concussa tuos, post ferrea Ditis
 Pectora lascivis tandem mollita sagittis
 Torpet hebes telum, languet tibi dextera segnis ! ?

- 85 Quin, age, maioris spectat te pompa triumphi,
 Aurillui cui nec Iovis aequiperaveris imbres
 Nec molles habitus Lydae sub lege puellae
 Clavigeri Alcidae nec amantis pascua Phoebi.
 Sume arcum atque illo rursus praecingere telo,
 90 Cui nec multiplici connexae adamante catenae,
 Invius ipse mei non thorax Martis et aegis
 Pallados obsistat, furvi non ora profundi,
 Imperiurato qua Styx devolvitur amne.
 Pannonii pete regna Iovis, qui coniugis expers
 95 Contemnit mea regna ; tuis hunc, nate, sagittis
 Vince, truces animos, impervia pectora telis
 Concute et ignotos, fac, sentiat ille calores !
 Suspiret thalamos, mens tota in cuniuge aberret
 Spositoque sui paulum moderamine regni
 100 Ardeat arcanos refovens uxorius ignes !
 Dixit et ipsa suis manibus dea collocat arcum,
 Suspendit nato pharetram selectaque ponit
 Spicula et omnidomo succensas lampadas igne.
 Evolat ille celer ripasque binominis Istri
 105 Attigit armiferas, ubi Pannona terra cohortes
 Explicat Othrysiae sese obiectura procellae.
 Quisquis erat refugas doctus post terga sagittas
 Mittere, qui iussas arcu contingere metas,
 Qui iaculum torquere valent, cui fervida virtus
 110 Hostilem suadet per mille pericula vallum
 Scandere et eximium fecundo sanguine nomen
 Quaerere, qui fidis novit loca commoda castris
 Eligere et densas audet perrumpere turmas,
 Stat promptus mediique exultans pulvere campi
 115 Sithoniae iam nunc poscit concurrere turmae.
 Hic caput aerata pictis cum casside conis
 Integit ; ille humeris gestat coryton et arcum ;
 Aurea flaventes huic velant retia crines
 Arctoae de more plagae vel lactea colla
 120 Implicat intextum gemmis auroque monile ;
 Ille Semiramia variatum vellus ab arte
 Pectore habet rigidus ; huic tantum pectora munit
 Sola chalybs, reliquo stat corpore pervius hosti ;
 Huic fronte in media pictas ligat aurea pennas
 125 Concha et ab opposito radiat fulgentior aere ;
 Parte alia frenis artat spumantibus ora
 Cornipedis cataphractus equi fremit ille superbum
 Insultatque solo ac tumidis sub naribus ignem
 Colligit erectaque ferox attollitur aure.
 130 Aspiceres illic populos utraque iacentes
 Danubii ripa, rapidis quos circuit undis
 Savus et adverso quos ambit flumine Dravus.

- Illic Delmaticae gentes agilesque Liburni
 Atque Polemonii proceres proceresque Boemi,
 135 Denique Parrhasio quicquid sub cardine gentis
 Regna tenent, aderat regi auxiliaribus armis,
 Quoscunque in populos victricia signa movere
 Et quocunque parat deferre ex hoste triumphum.
 Regia selectis haec inter corda sagittis
 140 Traicit acer Amor Paphiosque his addidit ignes.
 Nec mora : Per teneras crescit nova flamma medullas,
 Flamma Dionaei vires testata caloris.
 Iam rex ignota suscepto vulnere dextra
 Torpet et occultos fit alter et alter ad ictus.
 145 Ardua non illum gemini moderamina regni,
 Non urbes populique iuvant, non regia curae est,
 Non, quae linitimus confinia proterit hostis,
 Paeones hinc, illinc Thraces et Sarmata velox.
 Non audire preces, suetas non condere leges,
 150 Non equitum turmas, peditum non agmina curat.
 Illud paulatim saevi Mavortis ab arte
 Declinat pectus, non densas claudere valles,
 Non temptare libet saltus aprosve frementes
 Aut propriis fetas turbare cubilibus ursas.
 155 Iam neque sidereas iuvat exercere per artes
 Illud perspectae discussum mentis acumen,
 Cur Plaustra obliquo tardus temone Bootes
 Conetur refugo frustra summittere ponto,
 Quid tantum Oceano brumalibus obsita nimbis
 160 Astra procellosos properent demergere soles,
 Cur modo curvatam praetendat in aethere frontem
 Cynthia, nunc plenum reparabilis attrahat orbem,
 Cur eadem radios fratris populata micantes
 Ingerat immodicum Phoebos male grata laborem,
 165 Post tamen ipsa luat commisso crimine poenas,
 Quam subito immissis pallens ac maesta tenebris
 Nescit ab obiecta lucem sibi quaerere terra
 Haec et multa prius variis sibi cognita curis
 Egregius belli ductor torpere relinquens
 170 Cogitur insomnes suspirans ducere noctes.
 Quique modo assuerat tragica gravitate superbus
 Acta Sophocleis evolvere tradita chartis,
 Nunc elegos molles mutato blandius ore
 Concinit, exculti quos olim Musa Tibulli
 175 Edidit et doctus, quo gaudeat Umbria, vates,
 Teque, parum prudens gemini praeceptor amoris,
 Perlegit, extremas ponti qui missus ad oras
 Caesaris es, nullo crimen debile seculo
 Ingenii perit ille vigor divinus et ipsum
 180 Deprimit Idalia durus cum matre Cupido.

- Heu ! tantum arcanos percussi pectoris ignes
 Suspirat laesoque rubor se prodit ab ore
 Obductas retegens flammās. Ah, nomen amantum
 Immemor imperii quoties tua lingua locuta est ? !
 185 Te suspirantem nascentis lumina Phoebi,
 Te medius Titan, te serus conspicit Hesper.
 Ignotae haud aliter flagravit amore Lacaenae
 Iliaca quondam lectus Paris arbiter Ida.
 Dumque morae impatiens amor est, dum fervidus alto
 190 Aestuat igne vapor Sicula ferventius Aetna,
 Seligit e numero procerum, cui plurimus extat
 Eloquii splendor, Pyliae cui mella senectae
 Dulchissimi oris torrentia flumina cedunt,
 Cuius saepe fides in summis cognita rebus,
 195 Orantem magnae stupuit quem curia Romae,
 Cuius honorato praefulget vertice clarae
 Pontificalis honos, pretium virtutis, et illi
 Dat mandata suo, referat quae nomine regi,
 Cui regna Ausoniae, cui Gallica sceptrā tenentur,
 200 Cognatoque petat prognatam sanguine neptem
 Sceptriferis thalamis et taustae foedera taedae,
 Acceleret certis sponsalia nectere verbis :
 Non aliam se velle toris, quin caelibe lecto,
 Invida coniugium si forte hoc fata negarint,
 205 Tracturum vacuum ventura in tempora vitam.
 Nam quum sollicitus gentes percurrat et urbes,
 Nil habet Ausoniae plaga, nil Germania dives,
 Cognati nil regna soli, nil ultima tellus,
 Quae iam declives curus Phoebique cadentes
 210 Sentit equos, tanto dignum succedere lecto.
 Inter tot tantasque nurus, quas obtulit orbis,
 Anna placet : solam mens saucia cogitat Annam.
 At Venus haec inter Paphia iam sede relicta
 Tyrrhenas spectabat aquas cognataque circum
 215 Numina Nereidas, quas inter caerula Glauce
 Frenatum delphina premit, Cadmeia virgo
 Non sinit implicitos violis errare capillos,
 Acidis aspecta praereptos Cypride amores
 Suspirat Galatea sui Messeniaque antra
 220 Devovet, at Spatale virides super aequoris undas
 Marmoreo iactat gemmata monilia collo,
 Candida Cymodoce toto stat corpore anhela
 Amplexu Glauci iam iamque apprensā sequentis.
 Has ita formoso vultu est affata Cythera :
 225 „Este, deae, mecum taedas celebrate iugales,
 Quales vix quondam stellantis regia caeli
 Viderit, aethereo quum se Saturnia fratri
 lunxit et optatum soror est amplexa tonantem.

- Desponsanda manet nunc regi regia virgo ;
 230 Nomen ab extremis ductum regale Britannis,
 Supremos hominum Morinos et Belgica regna
 Quod rexit longumque reget : sic iusta tulerunt
 Fata, adamantaeae sic edixere sorores.
 Improba nil unquam demissum vidit in illa,
 235 Nil parvum fortuna domo, sed scepra, triumphos,
 Imperium, fasces : horum sit Celtica testis
 Terra, Calidonii sint, ultima regna, profundi.
 Iam dea contigerat Romani moenia Planci,
 Qua celeres Arar et Rhodanus sua flumina miscent,
 240 Et iam regali constructa palatia luxu
 Intrarat. Bifores illic argentea valvas
 Ostia pandebant. Illic contemptus achates
 Et neglectus onyx teritur : non gratia ophiti
 Ulla datur, nihil est illic Euboea Carystos,
 245 Nil Ligurum lapides, nil inclyta saxa Laconum.
 Parte omni fulvo trabs exaturata metallo
 Pendet et attonitos hominum rapit undique visus.
 Divitiis nec cedit opus, stant aera Myronis,
 Stat labor, o Lysippe, tuus, tamen omnia vincit
 250 Porticus antiquis patrum variata triumphis :
 Est illic Thybris, sunt captae moenia Romae,
 Sunt et Aquitanis Capitolia cincta manipulis ;
 Arx Tarpeia manet graviori pressa periclo
 Porticibusque cavis volitans argenteus anser,
 255 Dum vigili. attollit resonantia murmura voce,
 Per rupem audaces testatur adesse phalanges ;
 Pensati est illic temerarius arbiter auri
 Ensis et Ausoniae tot rapta insignia genti ;
 Parte alia Brennus per litora Graia cohortes
 260 Sequanicas ductat, — iam se vix Delphica tellus
 Numine Phoebeco nivibusque repente solutis
 In proceres Gallos victriciaque arma tuetur.
 Hos inter titulos antiqua ab origine patres
 Candalii apparent et honorae stemmata gentis.
 265 Ut primum visa est divinae stirpis alumna,
 Obstupuit Cytherea decus mirata puellae,
 Stellantes oculos primum, quibus urit amantes,
 Ardet ut Oetaeis circumfluis humor in arvis,
 Qui Phaethonteos iterum renovare calores
 270 Evaleant totique ignes immittere mundo,
 Unde suas solitus accendere saepe Cupido
 Lampadas ; ingenuae stat frontis gratia, sub qua
 Excubat Euphrosyne geminam complexa sororem ;
 Pallados armiferae dignum stat Gorgone pectus
 275 Atque Semiramia pharetra nodatur in aurum
 Crinis Apollineo solus certare decori,

- Dignus et auricomum Bacchi superare nitorem,
 Qui valeat valeatque tuis contendere flammis,
 Qui Bereniceo de vertice raptus ad astra
 280 Ignivomum tremulo praeferens fulgore cometen.
 Cuncta animus vincit, quem non regina Scytharum
 Massagis exuperet, hostem licet illa superbum
 Ulta sit impune natum non passa iacere.
 Femineos non illa colos, non pensa gerebat,
 285 Nil privatum illi curae est, sed volvere libros,
 Scire pudicitiae laudata exempla prioris,
 Quot proba Penelope lustris errante marito,
 Tempore quot belli repetitae stamine telae
 Sit pactam tutata fidem, Lucretia morte
 290 Ut subita immeritae exuerit mala crimina culpa.
 Laodamia suo comes est ut facta marito
 Praevenitque diem laeto. Stat virginis usque
 Iphias ante oculos et casta Althaea pudicos.
 Dotibus his alias addit: non pectinis illa
 295 Nescia Threicii est, non saxa trahentis et undas
 Ismeniae citharae. Quicquid cantavit Arion,
 Quod Mytilenaea cecinit cum vate Corinna,
 Quod Linus, hoc repetens modulatur regia virgo;
 Aut ductat thyasos, quales non ante Cithaeron
 300 Baccheis vidit festis, non flumina quondam
 Thermodontiacas subito perpessa bipennes
 Armigerae sobolis, postquam peltata virago
 Depopulata Getam positus agit otia bellis. —
 Huic Venus haec roseo confestim prodidit ore:
 305 „Ecquid perpetuam dulci sine coniuge vitam
 Nescia natorum, genialis nestia lecti
 Sola trahes formaeque tuae decor iste peribit,
 Cui nec Taenareae faciem conferre maritae
 Graecia nec cursus Pisaea lege petitos
 310 Audeat et multa dotatam caede puellam,
 Illa licet Graias peritura in Pergama vires
 Moverit et demum in patriam repetita cremarit
 Laomedontaeae fumantia moenia Troiae,
 Fixerit haec foribus putri squallentia tabo
 315 Ora suis victrixque ipsos damnarit amantes
 Ad Phlegethontaeae liventia stagna paludis?
 O felix, cui te iungent bona fata marito,
 Felix virgo, tua facies quem prole parentem.
 Sed, quoscunque procos immensus detinet orbis,
 320 Conspice, nemo tuis thalamis succederet unquam
 Dignitor, Arctoeae quam qui moderamina terrae
 Bina tenet geminoque caput diademate cinctum
 Irradiat, quem iam votis Germania regem
 Mille petit cuique addictum testantia mittit

- 325 Dona amimum Thrace. Quae gens tam incognita nobis,
 Sive sit Eeos Phoebi surgentis ad ortus,
 Seu fontes colat illa tuos, septemflue Melon,
 Seu videt Hesperio pomaria tuta dracone,
 Inclyta nescierit generis quae stemmata tanti
 330 Atque Polemonios reges successaque scepra
 Per gentis seriem? quis aviti praelia belli
 Nescit et extremo prostratos Marte Sicambros,
 Aequarit cui nec celebratas sanguine Cannas
 Hannibal Ausonio, Tyria non Scipio caede
 335 Undantem Zamam, Marius non Cimbrica signa,
 Theutonicos currus et capti vincla lugurthae
 Caesareoque genus maternum a sanguine ductum
 Inque suis titulis ter Romae scepra, ter auctos
 Imperio proavos? cuinam se largius unquam
 340 Furtuna indulisit quamve est complexa favorem
 Tam iusto propensa domum? Nil grandius unquam
 Parrhasii summo vidit sub cardine mundi
 Torva Lycaonii sitiens custodia monstri.
 Editus ut fuerat Tyrioque exceptus in ostro,
 345 Iam regimen cum luce gerit patriosque triumphos
 Vagit et hostili squallentia castra cruore
 Incolit et mediis cunabula ducit in armis
 Intremuere Scythae, tanti praenuntia regis
 Fata Getes timuit et mixtus Sarmata Daco.
 350 Vixdum bis fuerat quinquennis Olympias acta,
 Iam Scythicos arcus, iam Parthica tela, sagittas,
 Iam Thracum norat pugnas animosque Laconum;
 Ut Galli sua gaesa ferant, ut pila Latini;
 Iamque hostem turbare gradu, iam caede superbus
 355 Arma triumphanti captiva appendere curru.
 Aspice, quid possit virtus, lanugine vixdum
 Signabat malas, quum dant sua scepra Boemi;
 Hac etiam allecti regem fecere rogantes
 Pannonii haud donis vel ambitione petiti.
 360 Hic coniunx fatis, hic dis acceptus et astris
 Iam pridem te, virgo, manet, quo nupta marito
 Sidera sublimi caelestia vertice tanges."
 Inde capit ceston, quo ventos illa furentes
 Sistit et irati rapidos lovis edomat ignes
 365 Aspiratque faces et connubialia iura.
 Senserat insolitos ignes non conscia amoris
 Virgo prius; iam iam gaudet regina vocari,
 Iam cupit e tanti collo pendere mariti
 Incusaque moras et stantia tempora damnat
 370 Sollicitisque frequens digitis dum computat horas,
 Haud prius aspectum iam mens decurrit ad Istrum.
 Ah, quoties regi dixit: „Quid vota moraris

- Nostra ? quid optatae producis foedera taedae ?
 Non secus in Tyria Dido miserabilis urbe
 375 Sensit Acidalium labefacta per ossa calorem,
 Quum pius Aeneas Siculo iactatus ab aestu
 Post patriae cineres, rapti post fata parentis
 Sorte sua Libycis tandem sese appulit oris.
 Dum pendet dubioque labant praecordia motu,
 380 Spesque timorque instat : „Quae dis donaria vovit
 Quaeve tulit ?“ — Sed pone metum, tam regia coniunx
 Parrhasii tu sola Iovis visura cubile es.
 Astat castus Hymen, tua qui connubia sanxit ;
 Duceris et tecum per devia saxa cohortes
 385 Lingonicae properant ; extrema tendit ab ora
 Santonis Oceani, lateri comes haeret euntis
 Rex regum Non ille truces ad bella Rutenos
 Ducit et Alpino populari milite campos
 Cogitat Ausonios, sed pacis plena verendae
 390 Maiestas ; saevi non horrida classica Martis
 Triste minaxque fremunt, sed tota haec pompa triumphi,
 Virgo, tui ; Hesperias tecum, regina, per urbes
 Belgica signa meant placidam portantia pacem.
 Occurrunt Itali proceres atque obvia divae
 395 Agmina agunt ; numen selecto munere certant
 Promeruisse novum portatur, decolor Indus
 Quicquid Erythraeis solers exquirat in undis
 Callaicisque fodit terris quod sedulus Astur ;
 Quod Panchaeus Arabs metit felicibus arvis
 400 Quaeque suis silvis extremi vellera Seres
 Depectunt, quod bis cognato murice Sidon
 Tingit et Idaeae quicquid variatur ab arte.
 Nativum decus ut spectetur divite cultu,
 Gratius, o felix, ac terque quaterque beata
 405 Aspicias Eridanum, quam se vix continet undis
 Applaudatque tibi. Sudant electra sorores
 Largius Heliades atque undas roribus augent
 Gemmificis ; dulci resonant modulamine ripae
 Amnis oloriferi. Sic quondam Aegyptia coniunx
 410 Romanis aquilis reduci occursura marito
 Puppe papiriferi decurrit flumina Nili
 Aurata Tyrio madefactum murice velum
 Expandens Zephyris inter Cyllenia fila
 Cognatae citharae strepitantiaque aera canoris
 415 Continuata modis longique foramina buxi.
 Coniugis hinc adsunt equitum peditumque catervae.
 Lecta cohors, cinguntque latus fulgentibus armis.
 Reginae variis vernant cum casside crines
 Floribus, Ismenios simulant hastilia thyrsos.
 420 Gaudia miles agit festoque haec carmine iactat

Militiae de more suae : „Quid, regia virgo,
Coniugis amplexus tardas atque oscula differs
Dulcia torquatas Veneris victura volucres ?
Quae te pugna manet ? Iam formidata Gelonis
425 Brachia constringent collum, velut implicat ulmos
Vitis et amplexas arbor Baccheia frondes
Flexipedi cingit nexu ; iam dextera telum
Excutere assueta hostilique rubere cruore
Mitior incipiet teretes tractare papillas
430 Blandaue iam roseis condetur lingua labellis,
Cui nec Sicanium nectar nec mollis Hymetti
Mopsopios aequet succos annosa vetustas.
Virgineo videor sudantem cernere regem
Marte Dionaeae pugnasque ciere palaestrae.
435 Has ille exuvias, haec mavult ferre tropaea,
Quam si victa iugo collum det perfida Thrace,
India cunque suo Meroe circumflua Nilo.
Nascetur proles materno gratior ore
Plus de patre tamen referens ; hunc, quantus in armis
440 Insurgat, toties fecundo sanguine Ganges
Decolor agnoscat, laxos huic porriget arcus
Parthia, odorati mittent sua thura Sabaei.
Sentiet hunc Garamas pronusque subibit habenas
Nobilioris heri, cedent sublimia gesta
445 Invicti Alcidae, summittet Pella triumphos
Extremo Phoebi nascentis ab orbe petitos.“
Protulerat faustum miles praenuntius omen :
Assensit Lachesis, geminae assensere sorores
Cadmeoque parant saturatum murice pensum
450 Candentesque legunt gemmas, quibus ordine certo
Venturae numerent felicia tempora vitae.

INDEX NOMINUM.

D: Dedicatio — Soli numeri epithalamium notant — v: vide

- Achilles** 13.
Acidalius calor 375.
Acis 218.
Aegyptia coniunx (Cleopatra) 409.
Aeneas 376.
Aetna 190.
Agaue, v. Cadmeia virgo.
Agenorei iuveni 75.
Alcides (Hercules) 88, 445.
Alpes 26 (*sing.*), 53. **Alpinus miles** 388.
Althaea 293.
Amor (*v. Cupido*) 80, 140. **Amores** 30.
Amphrysus 9.
Anna Candalia, v. Candalia, Anna.
Apollineus decor 276.
Aquitani manipuli 252.
Arabs 399. **Arabes** 47.
Arar 239.
Arctoa plaga 119. — terra 321.
 Arctous Iuppiter (Vladislaus II. rex) 28.
Arion 296.
Assyria 48.
Astur 398.
Augustus, v. Caesar.
Ausonia 199, 207. — gens 258.
 Ausoniae urbes 32. **Ausonii campi** 388. **Ausonius sanguis** 334.
Bacchae 38. **Bacchea festa** 300.
 Baccheia arbor 426. **Bacchus** (*v. Liber*) 277.
Belgica regna 231. — signa 393.
Bereniceus vertex 279.
Boemi 357. — **proceres** 134. **Boemia** D 3.
Bootes 157.
Brennus 259.
Britanni 230.
Cadmeia virgo (Agaue) 216. **Cadmeus murex** 449.
Caesar Augustus 178. **Caesareus sanguis** 337.
Calidonii 237.
Callaicae terrae 398.
Candalia, Anna 212 (*bis*), D 3.
 Candalii patres 264.
Cannae 333.
Capitolia 252.
- Carthago, v. Tyria urbs.**
Carystos 244.
Celica terra 236.
Charites 64.
Chienadiensis episcopatus D 3.
Chitak (Csák), **Nicolaus de, electus Chienadiensis episcopus** D *tit.*
Cimbrica signa 335.
Cithaeron 299.
Cleopatra, v. Aegyptia coniunx.
Concordia 59.
Corinna 297.
Cupido (*v. Amor*) 180, 271.
Cyllenia fila 413.
Cymodoce 222.
Cynthia (Diana) 162.
Cypris (*v. Venus*) 218.
Cyprus 69.
Cythera (*v. Venus*) 224. **Cytherea** (*v. Venus*) 31, 266.
Dacus 349.
Danubius 131.
Delmaticae gentes 133.
Delphica tellus 260.
Diana, v. Cynthia.
Dido 374.
Dionaea palaestra 434. **Dionaei horti** 61. **Dionaeus calor** 142. **Dione** 34.
Dis 82.
Doris 16.
Dravus 132.
Dulichium os 193.
Emathia 7. **Emathii populi** 14.
Eoae exuviae 37. **Eoi ortus** 326.
Eridanus (Padus) 405.
Erythraeae undae 397.
Euboea Carystos 244.
Euphrosyne 273.
Eurotas 76.
Favonius 50.
Galatea 219.
Galli 353. — **proceres** 262. **Gallica scepra** 199.
Ganges 440.
Garamas 443.
Gelo 424.
Germania 207, 323.
Geta 303.
Getes 349.
Glauce 215.

- Glaucus** 223.
Gorgo 274.
Graecia 309.
Graia litora 259. **Graiae urbes** 35.
 — vires 311.
Gratia 29, 60.
Haemonii populi 8.
Hannibal 51, 334.
Helena, v. **Lacaena**, **Taenarea ma-**
rita.
Heliades 407.
Hercules, v. **Alcides**.
Hesper 186. **Hesperiae urbes** 332.
Hesperius draco (**Ladon**) 328.
Homericus, **Zoilus** D 2.
Hunyad, **Matthias Corvinus de**, v.
Matthias.
Hymen 25, 58, 383.
Hymettus 431
Hyperboreus axis 5.
Iason, v. **Thessala pubes**.
Ida mons 77, 188. **Idaea ars** 402.
Idalia mater (v. **Venus**) 180.
Iliaca Ida 77, 188.
Indi 36. **India** 437. **Indus** 396.
Iphia 293.
Ismenia cithara 296. **Ismenii thyrsi**
 419.
Ister 27, 104, 371.
Itali 394. **Italia** D 4.
Iugurtha 336.
Iuno, v. **Saturnia**.
Iuppiter 86. — *is est*: **Vladislaus**
 II. rex 29, 94, 382
Lacaena (**Helena**) 187.
Lachesis 448
La ones 245, 352.
Ladon, v. **Hesperius draco**.
Laodamia 291.
Laomedontea Troia 313.
Latina lingua D 4. **Latini** 353.
Libe: (v. **Bacchus**) 37.
Liburni 133.
Libycae orae 378.
Ligures 245.
Lingonicae cohortes 385.
Linus 298.
Lucretia 289.
Lycaonium monstrum 343.
Lyda puella (**Omphale**) 87.
Lysippus 249.
Maenades 40.
Marius, C. 335.
Mars 91, 332, 390, 434. **Mavors** 151.
Massagis regina (**Tomyris**) 282.
Matthias Corvinus de Hunyad,
 princeps Hungarorum D 3.
Melon 327.
Meroe 437.
Messenia antra 219.
Minerva, v. **Pallas**.
Minyae 5.
Mopsopii succi 432.
Morini 231.
Musa 174.
Myro 248.
Mytilenaea vates (**Sappho**) 297.
Nereides 215. **Nereus** 44.
Nilus 70, 411, 437.
Oceanus 159, 386.
Oetaea arva 268.
Olympias 350.
Omphale, v. **Lyda puella**.
Ossa 22.
Oihrysia procella 106.
Padus, v. **Eridanus**.
Paeones 148.
Pallas 92, 274.
Panchaeus Arabs 399.
Pannonia terra 105. **Pannoniae** D 3.
Pannonii 359. **Pannonium regnum**
 D 4. **Pannonius Iuppiter** (**Vladis-**
laus II. rex) 94.
Paphia sedes 213. **Paphiae sedes**
 62. **Paphie** (v. **Venus**) 57. **Paphii**
 ignes 140.
Paris 188.
Parrhasius cardo 135. — **Ister** 26.
 — **Iuppiter** (**Vladislaus II. rex**) 382.
 — **mundus** 342.
Parthia 442. **Parthica tela** 351.
Patavinum gymnasium D 4.
Peleus 6, 17, 21.
Pella 445.
Penelepe 287.
Peneus 22.
Peigama 311.
Phaethontei calores 269.
Pharius Nilus 70.
Phlegethontea palus 316.
Phoebeum numen 261. **Phoebus** 8,
 88, 164, 185, 209, 326, 446.
Phrixium vellus 2.
Phrygia 13.
Pisaea lex 309.
Plancus Romanus 238.
Plaustra 157.
Polemonii proceres 134. — **reges**
 330.
Pylia senecta 192.
Rhodanus 28, 239.
Roma 52, 195, 251, 338. **Romanae**
 aquilae 410. **Romanus Plancus**
 238.
Ruteni 387.
Sabaei 442.
Santo Oceanus 386.
Sappho, v. **Mytilenaea vates**.
Sarmata 148, 349.
Saturnia (**Iuno**) 56, 227.

- Savus** 132.
Scipio Africanus Maior, P. Corn. 334.
Scythae 281, 348. **Scythici arcus** 351.
Semiramia ars 121. — **pharetra** 275.
Sequanicae cohortes 260.
Seres 400.
Sicambri 332.
Sicanium nectar 431.
Sicula Aetna 190. **Siculus aestus** 376.
Sidon 401.
Sithonia turma 115.
Sophocleae chartae 172.
Spatale 220.
Styx 93.
Taenarea marita (Helena) 308.
Tarpeia arx 253.
Tempe 21.
Thermodontiacae bipennes 301.
Thessala pubes (Iason) 2.
Thetis 10, 22.
Theutonici currus 336.
Thrace 325, 436. **Thraces** 148, 352.
Threicius pecten 295.
Thybris 251.
Tibullus 174.
Titan 186.
Tomyris, v. **Massagis regina**.
Troia 14, 313.
Tyria caedes 334. — **urbs (Carthago)** 374. **Tyrium ostrum** 344. **Tyrius murex** 412.
Tyrrhenae aquae 214.
Umbria 175.
Venetus senatus D 4
Venus (v. **Cypris**, **Cythera**, **Cytherea**, **Idalia mater**, **Paphie**) 71, 213, 304, 423.
Vladislaus II. rex (v. **Iuppiter Arctous**, — **Pannonius**, — **Parrhasius**) D 3.
Zama 335.
Zephyri 413.
Zoilus Homericus D 2.
-

BIBLIOTHECA

SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

SAECULA XII—XIII.

RM.

P. magister, quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. *Juhász*. 1932. — — — — — 5.40

SAECULA XIV—XV.

Trevisanus Maior, Zacharias, *Orationes et testamentum*, edd. *Bertalot—Gothein*. (Excuditur.)

SAECULUM XV.

Barbarus, Franciscus, *Epistolae*, ed. *Gothein*. (Apparebit.)

— *Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis*, ed. *Gothein*. (Excuditur.)

Barius, Nicolaus — **Kostolan**, Georgius Polycarpus de — **Hungarus**, Simon — **Zagabriensis**, Georgius Augustinus, *Reliquiae*, ed. *Juhász*. 1932. 1.50

Callimachus Experiens, Atilia, *Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia*, ed. *Kardos*. 1932. — — — 1.70

Martius Narniensis, Galeottus, *Carmina*, ed. *Juhász*. 1932. — — — 1.80
— *De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber*, ed. *Juhász*. (Excuditur.)

— *Epistolae*, ed. *Juhász*. 1930. — — — — — 1.—
— *Invectivae in Franciscum Philelphum*, ed. *Juhász*. 1932. — — — 2.50

Pannonius, Ianus, *Opera*, ed. *Husztii*. (Apparebit.)

Philelfus, Franciscus, *Sphortias*, edd. *Fógel—Juhász*. (Excuditur.)

Ransanus, Petrus, *Epitoma rerum Hungararum*, ed. *Juhász*. (Excuditur.)

Seneca, Thomas, *Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marescottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum*, ed. *Fógel*. 1932. — — — — 3.60

Valagussa, Georgius, *Epistolae*, ed. *Juhász*. (Apparebit.)

Vitez de Zredna, Iohannes, *Epistolae*, ed. *Juhász*. (Apparebit.)

— *Orationes*, ed. *Juhász*. (Apparebit.)

SAECULA XV—XVI.

Andronicus Tragurinus, Matthaëus, *Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae*, ed. *Juhász*. 1933. — — — — — 1.—

Celtis Protucius, Conradus, *Ludus Dianae — Rhapsodia*, ed. *Rupprich*. (Excuditur.)

— *Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus*, ed. *Rupprich*. 1932. — — — — 1.30

— *Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae*, ed. *Pindter*. (Excuditur.)

Fontius, Bartholomaeus, *Carmina*, edd. *Fógel—Juhász*. 1932. — — — 2.—

— *Epistolarum libri III.*, ed. *Juhász*. 1931. — — — — — 4.50

Piso, Iacobus, *Opera*, ed. *Juhász*. (Apparebit.)

Strozza, Titus Vespasianus, *Borsias (Fragmentum) — Bucolicon liber*, edd. *Fógel—Juhász*. 1933. — — — — — 1.20

Verinus, Ugolinus, *Carlias*, edd. *Fógel—Juhász*. (Apparebit.)

— *Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saracenaë Baetidos gloriosa expugnatione*, edd. *Fógel—Juhász*. 1933. — — — — — 2.20